Hain 15930

Vegius, Maphaeus: Dialogus veritatis et philalethis ad Eustachium fratrem

[illegible]

Brescia: Bernardinus Misinta, 1496

Vegius (Mapheus) [illegible]

[illegible], 1496

Hain 15930
Proctor 4035

Only one other copy in America [Henry Walters] according to Winship

J H Coulter
Nov. 15. 1927
A.

¶ Mafei uegii laudensis dialogus ueritatis & philalites ad eustachiū fratrem. Incipit feliciter Philalites.



Vænam es tu mortalium: quæ per uasta hęc montium inaccessaq; aliis uagaris loca? Ve. Parce me mortalem appellare: quæ diuino magis ex semine procreata sum. Phi. Diuinum ē ne numen tibi? Ve. Vtiq;. Phi. Quænā ergo tu cælestium es? dic mihi. Ve. Etsi mille iterum mihi ingruant tormenta: nūquam tamen meum subiicebo nomen. Phi. Quid tormenta narras? aut quid est: quod propter me extimescas? q lædere neq; sciui quempiam unquam: neq; plane uolui: effare age nomen tuū. Veri. Athletheā grai: ueritatem me latini uocant. Phi. Tu ne ueritas filia temporis? Ve. Illa ipsa sum: sed alio tamen ex parente orta. Phi. audiueram equidem quosdam credentes te ex tempore genitam. Ve. Audire potuisti facile: fuerunt enim certe: qui ita crediderint neq; inepta fuit eorum ratio credendi: nam cum sub aperto semper aere degam neq; tegar unquam latebrisq; unquam ullis obcludar si tegi tamen aut obcludi per uim forte contingat: tanta sum harum (qua cernis) allarū pernicitate: tantaque corporis agilitate & aptitudine ut necubi multum latere: a nulloque diutius celari possim: quæ proinde nuda sum ut uides: & nullo unquam amictu cōtecta: qua ducti illi ratione: quæ ueri satis similis esse uidetur: putauerunt me eo patre generatam: qui omnia: quantumcunq; occultissime agātur: detegit tandem aliquando: atq; manifestat. Verum ut indubitatum parētem meū intelligas: (audistin unquā magnū olympi rectorē ex cerebro genuisse sapientiā: illam uocant pallada: hæc mihi soror) ille mihi parens edita sum: ego eodem partu: eodem semine tantaq; est duarum sororū inter se uolendi ac sentiendi paritas: tanta uultus facieiq; similitudo: ut utram nostrū uideris: dicas nihil in nobis preter noīum appellationē: differre. Phi. O faustum hūc mihi diem melioreq; lapillo mirandum: quo, tādē uidere te mihi contigit: cuius uidēdæ incredibili iandiu desyderio flagrabā: propeq; tabescebam: per quas te non quesiui urbes? per quos non uicos & oppida? quibus non anxius erraui siluis dū te querito: quibus non montibus: quibus non inuiis & uastis locis: ut quā te unā animo menteq; gerebā: intueri saltē aliquādo possem o lætū me hodie & pbeatū: q quā nō inueni quæsitā totiēs repire tādē insperatus casus dedit: sed tu dic agnoscis ne me Ve. Haud agnosco te. Phi. Tuū ne Philalithen quo nō ē alter amātior tui. Ve Tu ne philalites meus. Phi. philalites. Ve. Quā poptatū offers te mihi: quā te nō minore uidēdi desyderio quæsiui ubiq; gētiū quotiēs inuocaui nomē tuū atq; inclamaui putauerā te ciuitates colere frequētē esse inter cōuentus hoīum Sperauerā tibi magnū esse ac celebre nomē in populis: sed qbus nūc uideo te errātē in asperis atq; de

ſertis locis: ſqualore obſitum: horridum ueſte: ſordidulum: pallidulum: incomptum: ſoliuagum: incognitum: deſpectũ: qd mirũ ſi nuſq̃ tibi: dum ubiq; te uocarem: exaudiebar? Oletam non mirus me hodie & perbeatam? cui uocatum te antea toties poſt longa tandẽ mala mea inopinatus hic dies atq; locus obtulit. Sed cur (ediſſere mihi) tam incultus es: & ueſte lacer? tã ſquallidus & abjectus? cur hæc habitas: quæ præ horrore feræ etiã loca refugerent? Ediſſeram tibi: ut libet. ſed imprimis: quandoquidem miſerabilior tua cõditio: mea uidetur: expone mihi: cur tantis tu confecta uulucribus: tantoq; cruore conſperſa: atq; fœdata: cuius olim tam eximiam formam acceperam atq; liberalem: cuius ex ore candidiorem ſole etiam ſplendorem ſcintillare prædicabant: cuius frons neq; hilarior: neq; triſtior? cuius aſpectus: neq; deiectus humilius: neq; profuſus licentius: neq; euectus altius. ſed reuerenda quadam & formidabili quaſi maieſtate conditus ferebatur. Vbi nunc decor ille longe lætus. Longeq; charites etiã ipſas exuperans? Vbi nunc tanta illa formæ dignitas ſimulacris omnibus emendatior? Vbi uenuſtas oris & elegantia? Vbi capillorũ rutilatio? candor corporis? honor oculorum & gratia? cur imutata nũc omnia? deformata? conſpurcata? coinquinata? Quinam (dic mihi) ita te undiq; confoderunt? Quinam etiam ita crudeliter affecerunt? ut nullam uideam ſine uulnere: ſineq; cruore uel minimam corporis partem? Ve. Longum factura eſſem ſermonem ſi malorum meorum ſeriem omnem explicare uellem. quod ad auctores tamen pertinet: poſſum eos breui uerbo tibi ſignificare. Mortales ſcilicet: a quibus tã dirum inmodum uulnerata: atq; cruentata ſum. Phi. Mortales ergo tibi tãtorum malorum auctores? Ve. Mortales. Phi. Quaſi diuinabã. Nam eorum improbitas ſatis mihi ac ſuper manifeſta eſt: quos etiam pre infinita ſcelerum ſuorum turba: ita ſum aſpernatus: ita dedignatus: ut non modo a domeſtica eorum conſuetudine: ſed ab aſpectu inſuper me abſtulerim: ſatius ducens mihi exiſtimanſq; dulcius in his uaſtis ſolitudinibus uitam agere cum hac uili ac trita ueſte: cum tuguriolo uel minimo: quo uentos arceam: capere tenues cibos. lymphas habere in deliciis q̃ ſumma cum omnium diuitiarum atq; dignitatum affluentia uerſari inter tot portenta flagitiorum: quibus ad ſummũ uſq; omnia referta ſunt mortalium tecta. Quæ cum neq; oculis conſpicere: neq; cogitatione prope ſuſtinere poſſem? id factũ eſt: cuius cauſam a me quærebas. ut tam incultus & ſqualidus elegerim hec horrentia magis loca inhabitare. Sed tu (oro): enarra mihi atq; a principio repete cauſas malorum tuorum: quas uti magna cum attentione: ita nõ ſine graui dolore auditurus ſum. Veri. Accepiſti ne unq̃ ullas cæleſtis uirgines ab optimo maximoq; parente meo ad mortales demiſſas fuiſſe. Philalites. Hocce cupio intelligere. Ve. Demiſſa iã pridem con

cordia demissa pax: demissa iustitia: & item pudicitia: demissæ innumerabiles aliç eximia specie cádentiq; pudore uirgines: despectæ uero a mortalibus omnes: ludificatæ: profugatæ: et per totum orbem turpiter exagitatæ: ac demum: unde uenerant: regresse sunt. Demisit me postremo amantissimus mortalium parens meus. Ratus propter maiorem: quam præfero uultus mei reuerentiam: & dignitaté non tam grauis modo me iniurias excepturam: sed honori insuper magno ac uenerationi apud illos futuram: & siquid erat: quo propter me augeretur: id unum erat: excellentia forme: corporisq; nuditas: quæ eum cogebant obscenas atq; impuras aliquorum: siquas offendissem: manus uereri. Quam uero longe cogitationé euentus fefellit? Quam uero alia crudelitatis magis quam obscçnitatis facinora extimescenda erát. Quæ tot ac tanta quidem sustinui; ut cum audieris: præ immanitate uix illa tibi credibilia uideantur. Philalites. Ni fallor equidem intelligere uideor. præcipuos inter cæteros mortales tanti sceleris reos. Ve. Quos? Philalites. Circulatores: & uanos quosdam nouarum artium ostentatores: qui uel fucatis herbarum concinationibus: uel fictarum imaginum gesticulationibus illudunt maxime rudi popello quibus nihil est ueritate alienum magis atq; incognitum. Ve. Parum uel nihil habeo; quo istos accusem nam ludunt magis quam ledunt eorum artes. Philalites. Mimii ergo te læserunt: & histriones: qui: quos uolunt: hominum gestus & uoces ipsi effingere & ementiri possunt. Ve. Et hi minus quam superiores: nam offendunt neminem unquam: delectant autem quemq; iocis & salibus suis. Philalites. At credo manus tibi intulerint: qui imposturam faciunt: conántes uim nature inferre: dum ignobiliores metallorum materias in præciosiores uertere atq; adulterare uanis artibus suis contendunt: ut uel ditescant magis: uel quæ non prodest: artem superstitioso quodam studio: magis inuestigent. Ve. Deploranda sunt aliunde grauius uulnera mea: quáquam & non nihil: (fateor:) me leserint hi impostores: sed puniuntur satis stultitia sua. Nam delusi tandem: impositiq; suis per semet impositionibus: redigi solent ad summam calamitatem. Philalites. Leserunt ne te forsitan aruspices & astrologi? cæteriq; qui diuinationem aliquam profitentur: qui uarios uitç mortisq; euentus prænuntiantes: tunc falluntur maxime: cum certius ueriusq; euenturum aliquid se intellixisse arbitrantur: Ve. Neq; horum ullam in me iniuriam queror: nam quo absconditam magis futurarum rerum rationem aperire: atq; notam possint efficere: elaborant plurimum & insudant. Qui si minus: quod conati sunt: exequuntur: ad scribundum id magis est debilioribus ingenii neruis ac uiribus quam prauitati ulli; ac malignitati. Philalites. At cogor etiam

de philosophis male suspicari : qui cum abstrusa queque nature scrutari: morumq; rationes fundare contendant tot cōtrarias inter se excitant lites: explicitasque nōdū cōcertationes: ut nulli adhuc certa eorū: quæ tradūt ueritatis uia patefiat. Ve. Inocētissimas & hi quoq; ab iniuria mea manus hñt. q & si falsa opinantes sepius magnis irretiātur erroribus: inuestigādi tñ ueri una oium ac par ē intētio. Ad quod pro suo quisq; captu diuersa ducitur opinionū uia. Phi. Qui tādem restāt: qui tantis te affecerint malis? nisi gerrarū ineptiarū que pleni logici? qui mendaciis semper & cauillationibus certantes: nunc currentes sedere: nunc sedentes currere credi uolunt: nunc hoies asinos: nunc asinos risibiles garriēdo adstruere conant. Ve. Haud istud quidem dixeris. Nam precipui ipsi ante oēs quos memorasti ueri cultores sunt: cuius querēdi indagandique gratia preponunt tales quasi quasdā ambitiunculas deliramentorūque imagines: sed solida est eorum uis atq; arguta: neq; gerarum (ut inquis) & ineptiarum plena. Phi. Credo oia: ut narras: Nā nunc in mētem ueniunt certissimi oibus que notissimi hostes tui. Ve. Et q nā? dic obsecro. Phi. Quis nesciat? poetas confictis nescio quibus ac fabularum portentis totū orbē impleuisse. Ve. Quę indigna audio! Phi. Cur indigna? nā nullū ē mortalium gen⁹: a quo magis quā ab his uenerata aucta: illustrataq; sim. Cur ergo uulgo fertur poetas omnia fingere & ementiri? Ve. Cur & multa alia uulgo feruntur uana: stulta: mendacioraq; iis: quorum insimulant poetas? Quod quoniā corticem rerum: ut aiunt tantum intelligant: ea etiam tantum diiudicant : quę oculis exterius apparentia intueantur. Sed ad cognoscendas magnas arduasque res oportet latentes cęlatasque eorum: quæ dicuntur rationes introspeculari : pensareq; uim omnium castigato longe ac perpenso examine iudicii: ad quod penetrandum nullo hebetis & crassi uulgi uis : quantumlibet magna: & acris sufficere potest. Philalites. Et quid in se habent poetarum carmina: quod lateat uerum: fidele: magnificum : dignumque ueneratione? Ve. Quicquid uel ad intelligēdas regum ac populorum res gestas pertinet? uel ad cognoscenda archana nature: morumque & uitæ salubria instituta conducit. Nam a nullius sapientie professore melius quam a poeta: diuersorum temporum ac locorum uicos situs & gesta scribuntur neq; philosophi nature morumque rationes melius neq; astrononii cæli astrorumque uim ac meatus doctius: neq; musici uocum numeros & concentus elegantius: neq; ceterarum quiq; suarum artium præcepta fidelius? quam poete tradūt atq; ideo excellenti quadam denominatione poetę: quod idem est ac factores appellati sunt. Qua in re non pauci se deceperunt. qui cum uix pinguem quendam ac iudicio satis suo resonantem canorem : sillabarum etiam debitam proportionem uersibus suis expresserunt: actutum se eliconis aquas plenis facibus hausisse: atq; in summum pernasi cacumen ascendisse arbitrati sunt. Et quum cunctis in discipulis

cuiqꝫ sua: & si mala: placere uideamus: mirum tamen est: quam in poeticis maxime id uitio datum sit: ut ingenio quisqꝫ suo blandiatur: ut inepto quamuis deferat quisqꝫ carmini suo: ac tribuat multum: ut nemo non musam suam: ac ueluti simia gnatum suum caripēdat: laudet atqꝫ intentius admiretur. At per necessaria est adinstruendum carmē Longa rerum cognitio? Longaqꝫ auctorum & quidem eruditorum, lectio Longus & inundans quasi quidam litterarum fluuius: qui abundanter suppeditet tanta: quæ dicenda poete incunbunt. Petenda sunt: peruestigandaqꝫ diligenter nata quæqꝫ & propria atqꝫ rebus suis cognata uocabula. Aduocandæ sunt nō plebeæ aut seruiles (ut ita dicam) sententiæ. Sed quæ a uulgi fece segregatæ. nitido quodam decore ac uenerabili sui maiestate resplendeāt. Sed præter hæc quod maius restat? Opus est grandi & prompto atqꝫ acri ingenio. ꝙ cogitationes suas facile exprimere expolite ordiri luculenter narrare queat. ꝙ uerba sententiasqꝫ sciat artificiose uersare: uarie: distinguere aperte continuare: ꝙ castigate conciniterqꝫ eloqui: moderari auribus & pro rei cuiusqꝫ dignitate sublimiter: preesse: concitate: temperate omnia prosequi possit. Quæ cuncta quoniam arduum & difficillimum assequi est? ideo qui boni probatiqꝫ poetæ extiterunt: rari quidē ac phœnicis instar in luce prodierunt. Sūtqꝫ eorum ingenia diuini magis muneris q̄ humanarum uirium: qui cum tot ligati constrictiqꝫ sint uocū ac mensurarum legibus: tot uocati differendis uariis rebus & disciplinis: haud facile illis esset omnia perpetuo fæliciqꝫ stilo cōplecti: nisi adiuuante instiganteqꝫ dei miro assensu ac spiraculo: atqꝫ domestico cōtubernio: calescenteqꝫ diuini spiritus igni quodam: ac deflagrante magis incendio. Quos idcirco etiam furore repleri: & debacchante quasi quopiam proluuio spiritus circūactos futura sępius predicere manifestum est. Nam postq̄ dulcis illa flamma concaluit. mox uillescere humana: propiora uero fieri & sapere diuina incipiūt. Tū rapitur mēs corporei sui q̄si ergastuli oblita: agiturque tanq̄ cælo uaga & libera: fruiturqꝫ deliciis prophano uulgo incognitis. Quas & si non gustu certo: at imagine saltem: & odore quodam: cuius suauitudo facile nunq̄ explicari posset: attingit. Proinde quoqꝫ licentior est causa poetarum. Quod ueluti reges atqꝫ imperatores: quas uolunt: sibi litterarias leges rogant: exempti a communi: qua cæteri coartantur: gramatica simul & historica necessitate: inde fit: ut qui liberiores eorum terminos: officiiqꝫ sui laxiores habenas ignorant? mirentur: accusentqꝫ tantam: quā fingendi quæqꝫ sibi licentiam uendicarunt. Sed si intelligerent diuersum longe ab historicis cæterisqꝫ scriptoribus eorum officiū: cognoscerentqꝫ diuinam mentis ipsorū concitationē: qua succensi magnosqꝫ

quasi præcipites impetu rapiuntur: non accusarent modo: sed comen derent insuper maxime uellatas: quas ipsi intexunt figuras: rerūq3 figmenta. Nam quom carmen non sine furore mentis diuinoq3 afflatu exprimi possit: occupatum haud esse conuenit poetam in uulgaribus quibusq3 ac minutis rebus: sed excellentem & cum deo fabulanté: atq3 iocantem spiritum necesse est liberum agi. Et res gestas non historici more: cuius pedestre magis ac seruile est officium: ita explicare ut sub instrumento publico & fide testium tabellionisq3 auctoritate claudi uideantur. Verum sicut uaticinantes & apolline pleni solent: oportet ré quáq3 ita (ut est) ueram expromere: exprompramq3 non tamen cum nuda & rudi simplicitate apertam ostentare: sed cum uariis decorisq3 uellamentis tortuosis figurationibus obliquisq3 traductionibus inuoluere: atq3 per dulces fabulosoiq3 quasi quoidam ambitus & ambages tradere magnarum rerum ueritatem: quo festiuioré sit illustrata acquirat sermonis uenustatem & leporem cultūq3 decentiorem. Festiuiorq3 taliter ac decentior facta: summis tantum & prestantibus ingeniis perspecta innoteat: crassis uero & deiectis qualibus iners totū abūde scatet uulgus ignota penitus atq3 abstrusa delitescat. Puduit siquidé poetam tam praeciosam suppellectilem suam omnibus passim: nisi lectis & perfectis iri tractabilem atq3 domesticam Hinc est: unde in ualuit aliquando uana ea quorumdam inscitia: q cum tantū: quod oculis subiectum habent: intelligant ausi sunt: tam mistico poetarum artificio calūniá inferre: mendacés eos & falsos appellantes propter blándas: quas commenti sunt & prurientes fabulas. Nescientes uero poetici officii modum. Cuius non tam proprium est sanctis prodesse exemplis & institutis: q̄ dulcibus insuper oblectare uerborum inuolucris & figuris. Quibus ueritatem rerūq3 magnitudinem: non quod falso ipsi putant: obtenebrarunt: aut diminuerunt: sed exornarūt magis digniorem ac relucentiorem reddiderunt. Phi. Magna de poetis narras. Ve. Et quæ magna: & quæ uera sunt narro. Phi. Et quæ uera ego quoq3 esse puto. Sed expone tu mihi: qui te ita cruentauerunt. Ve. Exponá tibi ex ordine. Quá primum enim iussu omniū magni parentis descédi in terras. Libuit priusq̄ conuenirem mortales: inuisere inferna loca. Vbi quanto honore ab omnibus illius regni incolis suscepta: nudaq3 a nudis ipsis hospitata: non possem facile ullo sermone comprehendere. Adeo me seueri & duri iudices: & pluton ipse magnus: cæteriq3 omnes perlibenter aduentanté uiderunt: uisamq3 admirati reueritiq3 maxime & uenerati sunt. Mox in mortalium orbé iter arripui: credés & maiores longe ab iis honores assecuturam. Ita me uana decepit credulitas mea. Tum primos offendi ingentis bellatorum exercitus: cum multis munitissimis ad expugnandas ciuitates telis & machinis. Phi.

lalites. Nunc rem intelligo. Ipsi ergo illis suis te gladiis & hastis tam atrociter confoderunt. Veritas. Minime. & si enim infinita conti/nue committant flagitia: nunc horum opes diripiant: nunc illos afficiant uulneribus: nunc aliios iugulent mentiuntur tamen nunq̃. Philalites. Quonammodo? Ve. Nam non minus inpudentia sunt eorum dicta: quam facta. Qui cum multa crudelissime rapacissimeq; faciant: non aliter tamen: ac fecerint: se uel fecisse uel futuros esse unquam cõ/fitentur. Philalites. Probe sed qui tandem dic: ita grauiter afflixerũt. Ve. Conspicata tum pelagus animo uersare cœpi: terras ne prius an maria inuiserem. Vicitq; sententia: ut ad minus frequentatas turbis undas me conuerterem. At uix illuc attigeram: conscenderamq; naues: cum primum tunc aculeos malorum meorum experta: conspexi ibi tantam scelerum omnium turpitudinem: quãtam nisi his ego oculis hausissem nullo unquam modo ante persuadere mihi potuissem horrendum dictum. Vidisses illico in me omnes impetu facto: correptis tot flagellare mali rudentibus: quibus cæse contusæq; grauiter mihi scapulæ nigrorem adhuc: suum: atq; liuorem aperte testantur: tum ferire gubernaculis: clauis: antemnis: arpagonibus: tonsillis: remis: cõtis: anthoris: tum iacere trocheas: portisculos: suppara: artemones: scalas: parastatas: trausta: tabulata: amplustria: summaq; etiam mali carchesia. Atq; his ego ita primis malis pulsata: cruoreq; non modico cõspersa proripui me inde ocius? petiiq; terras: tum ibi statim aspicio latam & apertam planitiem: patentis campos: saltus: uineas: prata: hortos: insudantesq; in his longo opere indomitos agricolas. Quos & si olim Astræa: dum a mortalibus itidem emigrasset: postremo loco inuiserit: primo tamen ego conuenire statui: propter rudiorem simplicioremq; ipsorum naturam: rata & pro inde humaniores obsequentioresq; erga me illos futuros esse. Concessi itaq; illuc. Contẽplataq; eorum mores. uidi quæ uidere dolui: furta: rapinas: insultus: audaciã plurimaq; alia & grauissima scelera. Vix autem eos dulciter amiceq; salutaueram: cum stimulis primo: ac si bos uisa essem: me pungere: dehinc struas: burres: uomeres: aratra: dẽtes: iuga: rastros: hirpicesq; dentatos in me mittere egressi sunt: putatorias etiam falces: messoriasq;: ac fœnarias: tum percutere me cylindris: penniculis: tribulis: uannis: uentilabris: tum ligonibus: bipaliis: sarculis: bidentibus: rutris: fucinis: runconibus: rastellis: furcillis: palis perticis: cratibus: corbibus: quallis: Discessi ab eis tandem tam immaniter uulnerata: & in urbes tanquã intutissimum diuersorium saluberrimumq; malorum meorum leuamen confugi. Cogitans uero quinam ex omnibus: qui urbes colerent modestiores essent atq; sanctiores. In animum induxi sacerdotes. Primum iter itaq; fuit mihi ad templa arasq; magnorum cælitum: Specu

lataq̧ itidem ibi diligenter mores:habitusq̧ sacerdotales : delectata sum certe primo eorum congressu. Nam decens suus erat habitus pariter & incessus. Deinde inuocato sepius dei adiutorio uel pro uiuentibus sanctam pacem:uel pro defunctis ęternã requiem:uel pro uniuersis ueniam & misericordiam implorantes:diuinas semper: laudes: sublata uoce resonabant. Nonnulli etiã publice declamantes:nũc uirtutes summa laude:nunc uicia graui accusatione prosequebãtur. atq̧ ab his deterrebant : ad eas magnopere quemq̧ inuitabant. Placuit mihi hæc exterior uitæ sue facies : præsertim : quod in dei optimi: & maximi collaudatione : quo nihil potest fieri melius aut dignius:semper eos occupatos uidebam . Cupiensque in eorum:strictiorem uenire familiaritatem introiui in cunctanter secretos etiam ipsorum thalamos. Vbi preterco quæ uiderim singula exterioribus minime interiora respondentia. Sed id saltem non omittam.q̧ attractãtes frequenter lectitantesq̧ breues quosdam codices: a quorum breuitate nomen etiam illis consonũ indiderunt:concitato quodã & prorupto oris motu ferebantur:bilbietisq̧ instar amphore multa magis quasi ob murmurabant q̃ proferebant. In quibus quantum coniectura capere potui:diuinas:quas supra memoraui. precationes atq̧ inuocationes faciebant. Sed neq̧ ego quæ dicerent facile accipiebam:neq̧ ipsi (ut arbitror) plane intelligebant. Et si qua erant:quę percipi possent:ea tantum erant nescio quæ uerba bubatata:quæ magna cum labiorum festinatione ac confusione perstrepebant:nec mora : magno in me cum insultu proruerunt.correptisq̧ breuibus illis libellis suis adeo mihi oculos colliserunt:atq̧ contuderunt:ut dextrum pene hunc mihi:quem læsum adhuc uide si eruerint. Tum acerris:arulis:candelabris:cereis:emunctoriis:lichinis:lampadibus:sacrisq̧ omnibus uasis: atq̧ ipsis postremo:quæ summũ cæli regem hominumq̧ liberatorẽ affixum sustinebãt. sacratissimis crucibus:ita me insectati sunt: ut prope tamen mihi dispereundũ oino esse putauerim. Sed aufugi inde citius subir ascens multũ tã uanæ credulitati deceptęq̧ de his opinioni meæ. Egressa uero fores tẽplo℞:neq̧ uidẽs ad quos me conferrẽ:euolaui i plateas uiasq̧ publicas. quot tũc mihi & quãta se palã obiecerũt mercatorũ:redẽptorũq̧ piuria prosonetarũ inuolucra institorũ fraudata negotia:numulario℞ prostituta lucra:publicanorũ audacissima scelera :quantæ artificum deceptiones: & deprauationes: quanta non uirorum modo : sed & fœminarũ atq̧ puerorum mentita uerba pariter & facta? quanti & horum fuci? quante nebulæ? Quorum quod detestabilius ẽ:eo magis etiã idoles probatur:atq̧ magnũ aliqđ de se undiq̧ emẽtiũ uendentiũq̧ iter se uellamẽta : atque mendacia quanta

polliceri prædicatur: quo mentiri magis ac fallere assuescunt: fœminæ in me primæ iecerunt fusos: colos: uerticulos: glomera: metaxas liciatoria: pensa: radios: acus: calathos: thecas: tum gemmas lapillos: uniones: uiriolas: annulos: inaures: armillas: cylindros: dextrana: limulas: torques: catellas murenulas: periscedulas: zonas: semicinctia: mitras: anadeniata: discriminalia: tum mundum infinitū: pectines: discernicula: calamistra: forpiculas: specula: matulas: olfatoriola: sudariola: scalptoria: dentifricia: dentiscalpia: auriscalpia: atq; inuumerabilia: quæ magis etiam me læserunt: unguentaria uasa elegantioris: quam necesse sit: forme causa parata. Post: puerorum ingens & conferta turba raptim me fustibus: ac saxis impetierunt. Tum populi longa multitudo: ut hincinde concitata fugiebam. Atq; ex omni genere artifices: quæ pro suo: quisq; usu parata habebat instrumēta: magno cum furore in me miserunt milleq; me in locis confoderunt: Vidisses uolitare laniorum: cetariorumq; mensas, trape zephora: delphica: trutinas: pondera: ferramenta: hamos: uncos: retia, euerricula nassas: cultros machæras: dolabras. Coquorum pistorumq; aena: cacabos: chitropedes: urceos: truas: creagi uerua: craticulas: testa: sartagines: patinas: ollas: fidelias: lebetes: mortaria: pilla: rudes: alueos: caphas: mactras: labra: cribra: cola: pallas: bacilla. fuscinulas: forcipes: uncinos: scutellas: promulsidaria: parapsides: coclearia: quadras: lances: catinos: cauponum ciatos: scyphos: urceolos: œnophora: pateras: obas: trullas calices: phialas: columbaria: amulas cantaros: ascophas: lagenas: cangios: aucones: cymbia: crateres: amphoras: cados: Pictorum pugilares: stilos: colores: penniculos: spongias: concas: cauteria. Sutorum forfices: acus: formas: mensuras: scalpros: subulas: mucrones: digitalia: calonumq; ac omnis generis fabrorum forcipes maleos: incudes: folles: secures: cuneos: fibulas: festucas. uectes: trullas: cementarias: perpendicula: normas: regulas: amusses: modulos: circinos: ternos: manphures: limas: cela: celtes: scalphina: serras: dolas: alcias: dolabras. Medicorum: Tonsorū: pigmentariorumq;. Pelues: cucumas: nouaculas: cotes: forpices: cucurbitulas: scalpellos: uollellas: hamulos: modiolos: diocles: scaphia: matellas: pixides: piperatoria: mortariola: pistillos: rudiculas: quibus in mediu grauiterq; ac grandinis more ruentibus: pene tandem deficere coepi: defecissemq; penitus: nisi noui & repentis hospitii melior me spes recreasset. Nam ut rotabar undiq; & exagitabar: incerta mei ac anxia: nec quo diuerterē tuum ullum conspiciens locum: ecce perueni forte ad fora publica. Vbi & mira intuens cum grauitate prætores: atq; prędides: multam itidem togatorum: capitiatorumq; hominum turbam: qui uel iudicabant: uel procurantes ipsi causas aliorum dicebant affecta sum primo eorum aspectu. Quorum cum facies: & uultus. tum lōgiores maxime laxioresq; toge: ac capitum tegumenta: magnam simul sapientiam: & uite integritatem: moderationemq; animi ostentabant. Ac/

cessi ergo propius ad eos: existimans me de carybdi iam securum in portum applicuisse. Cum subito in circūsceptam. latrantibus canibus scyllam uideo me delatam: ac præcipitatam. Nam quas ibi non audiui latrantium causidicorum uoces? Quas non iudicantium ini/quas interlocutiones atq; diffinitiones? Quas non uidi pretorꝫ ābitiones? Quas nō aduerti tabellionū: scribarūq; falsitates? Quos ēt cū primo adiuissem tanq̄ humilioris icōditionis hoies: mirū ut quantotius calamariis simul atq; graphiar isthecis: calamisq; ac attramētariis uasis scalpellis ēt: & cæteris scriptoriis ferramētis suis i os mihi oculosq; acriter insultauerunt. Mox acrius quoq; & impudentius proruere: in me ausi præsides: assessores: circūlatrantesq; undiq; illi scyllei canes tā longus: tamq; uenerabilis ac togatus ordo: atq; in me primo unguibus: dehinc dentibus crudelissime sæuientes dilaniarunt totum mihi atq; ubiq; corpus excederunt: quorum quotiens recordor caninam illam rabiem: morsus uenenatos: famemq; non minus titiano uulture ardentem & indomitam: contremisco totiens: destituorq; tota pene præ recordatione. Ita mihi penetrarūt ultimos etiam cordis recessus ut horum comparatione priora certe: quę exceperam: q̄uis amarissima uulnera prope dulcescerent. At postq̄ defessi priusq̄ exaciati sunt malis meis liquere me tandem. Ego uero quantum uulnerum acerbitas magnitudoq; sinebant: maturaui inde fugam. (& quæ unica tantum restabant loca) me contuli ad curias principum: atq; eorum: qui principibus assistebant: potentiorum hominum turbulentissima turba. Neq; uero dicam: quæ passim ibi singula uiderim licentiora etiam: q̄ quæ supra recensui. Loquantur prose conculcati pupilli: flentes uiduæ: egentes prostrati: innocētes damnati: optimi quiq; accusati. proscripti mulctati. Illud tantum memorabo: quod pre indignatione rerum tanta permota sum commiseratione: ut cum innumerabilibus iā corporis uulneribus ad exhalandam usq; ipsam animā confecta eēm maiore tamen cum dolore & anxietate tulerim nouum id animi uulnus: quo per punctam transfixamq; incredibilis quędam me tot ac t[illegible] torum malorum pietas affecerat: tam grauis erat atq; miserabilis facies eorum: quæ cum uiderem non magno poteram sine horrore intueri. Miraris forte pietatem teneritatēq; animi mei. Sed miraberis. Longe magis furorem eorū. q̄ longo in me concitatoq; agmine quasi debacchantes non ferro quidem me extinguere: (nam extingui haud posse me ferro intelligebant) sed pugnis: calcibus: saxisq; contudere. strangulareq; laqueis: promptum certumq; mortis meæ genus arbitrati sunt: quo nec contenti contusam etiam & strangulatam rotare demum per pedes ac quassare illidereq; terrę pro ui sua quisq; contenderunt. Quibus tantis malis affecta. (postq̄ non tam rabiem exa

rauerunt suam: quã extremum (siquid adhuc restabat) spiritum me exhallasse crediderunt). eiecta sum in pomerium urbis tanquã uillis/simum cadauer depascendum canibus atq; feris alitibus ue. Sed quas non inueni cunctis etiã hominibus mitiores feras & uolucres? Quid referam quanto me studio & amore prosecuti sunt in primis canes. tũ corui & uultures: cæterçq; aues: etiam immaniores? Quam conglo/bati cateruatim omnes assistentesq; mihi certabant: nunc hæc plaude re alis conqueri dulciter & condolere: purgare rostris uulnerum sa/niem: nunc illi pedibus caudaq; blãdiri lingere uulnera: plagasq; mul cere: donec quæ supererat adhuc scyntilla uitæ meæ coalescere redi/req; sensim in ueterem flammã atq; restitui cæpit. Quid cum iam ua/lentior facta inde secessissem? quid narrabo: quantam non canũ mo do & alituũ. Sed luporum: & ursorum: tigrium leonum: omnisq; ge neris ferarum experta sum mansuetudinem propeq; dixerim huma/nitatem? Nam post longa: quæ sustinueram mala quũ ex urbibus oĩo statuissem migrare in abdita loca: perrexi in siluas & nemora tãquã securius in refugium uitæ meæ. Nec uero mea me fefellit opinio. Nã quanta me prius homines affecerant iniuria: tanto postea me honore siluestres feræ atq; alites a quibus tam amice suscepta sum: tam sedulo semper & officiose comitata: ut qui de hominibus ante crediderant uiderentur ipse humanos mores mutata utrinq; nãtura sibi uendicas/se. De hinc uero capta desyderio (ut fit) plura uisendi: conscendi al/tiora hæc collium atq; montium loca. In quibus & multos iam erra ui dies neq; mortalium quẽquã adhuc offendi preter te. Cuius primo aspectu offensa: non potui non timere memor eorum: quæ tibi retuli a mortalibus sustinuisse: tum securũ paulatim recepi animũ: postquã inter loquendum tam manifesta egregiæ uirtutis tuę ac demum amo ris signa demonstrasti. Quin maiorẽ inmodũ admirata fui in pri/mo sermonis nostri congressu: q te unicum ex omni mortalium tur/ba inuenissem tam mitem: pium: rectum: tanquã singulari præditum bonitate: sed philaliten postquã te meum esse intellexi: quem & prę/cipuum & ante omnes unum ut inuiserem iusserat parens meus: con/uersa sum illico ex admiratione in maiorem gratulationẽ: quæ te mi/hi aliquando oblatum habuissem: ut quum ad patrem meum reuerte rim possim post longam reliquorum mortalium in me crudelitatem atq; immanitatẽ: tui etiam unius summam uereq; ab illo mihi prenun ciatam humanitatem pietatemq; referre. Phi. O quæ audio tristia: di/ra: infanda: execranda. O ferum: crudum: imane: barbarum: O impu dẽs. O pestilens mortaliũ genus. O quæ dehiscat uobis terra: depeat q; tota charismate. O tolerãtissimũ magnũ tonãtẽ. O fulmina qd ces sant sua. O immanes. O extinctas iam faces suas. O multa sic abiit

tanta uorago flagitiorũ:tanta licentia. Ve. Noli tam grauiter angi-
philalites :satis ac super enim pœnas dabũt miserrimi mortales: sine
tantum ad parentem meum redeam:narremq; tam pręclara:quæ ti-
bi eorum benefacta memoraui:patientissimæ longe quidem sunt au
res sibi: sed haud surdę tamen. Sustinet diutius ille peccantes: quos pu
niat acrius tandem atq; castiget. Philalites O nisi iam pridem satis
perspectam habuissem impuritaté hominum: quo unquam adduci
modo potuissem:ut tanta:quæ uel uideo: crederem teterrimæ cru-
delitatis exempla? Ve. Pone iam questui modum. Philalites. Et pono
quidem sed tu oro priusquam abscedas: dignare tantisper domum
meam inuisere: quiescereque mecum : ut in prosperiorem ualitudi-
nem restituta:ac tam atra uulnerum a tabe purgata:possis demũ mũ
dior. elegantiorq; parentem tuum conuenire. Ve. Immo præstat ita
ut sum cruentatam abire ut manifestius impietatem eorum prę ocu
lis illi ponam. Philalites. Donato saltem mihi paucos dies:ut dulcissi-
mæ præsentię tuæ fructu non omnino priuatus sim: Ve. Faxo ut uis.
Philalites. Non ducam te in splendida ædificia lautasq;:mésas. Tugu
riolum est mihi quod manibus ipse meis extruxi iuxta quoq; antrum
naturę solertiore manu fabricatum parro uxor comes uitę meæ non
cultiore quam ego amictu uestita:sed pudica: & sobria seruat domũ
Gnati quoq; persimiles mihi:sed nudi ita ut te quasi repræsentét. Ca
pellas tantum paucas possideo:quas circum hos quottidie ago mon
tes:quæ & lactis nobis uberrima supeditant alimenta: pomis & nuci-
bus uescor potum aqua ministrat: mella aliquando mihi deliciæ: Tũ
ubi nox aduentauit salientem propter fontem crepitantibusq; ex sa-
xis dulci murmure deriuantem:fatigata membra compono. sub-
stratisq; arborum foliis capio somnũ. Sed quod exuperat omnis de
licatissimas dapes:& magnificétissimos apparatus é mihi pax & q̃s
pp̃etua Doli procul & fraudes nihil timoris:nihil odii:nihil insidiarũ
fida obsequitur uxor:dulces applaudũt gnati:audiunt : gaudent : ri-
dent:iocantur:lætusq; ego:hilarus:liber contentus minimis : uacuus
molestiarum:securus omnium & ab omni prorsus anxietate atq; ani
mi perturbatione exemptus ago. In has ego nisi forte fastidiis te acci
piã opes meas: Ve. Minime fastidio:quas pactoli etiam arenis lon-
ge pluris faciendas puto: Phi. Eamus iam:nam aduesperascit. Vides
ubi fumant tecta? non multum absumus dicto citius illuc contéde-
mus. Veritas Atq; ego te sequor libens. Finis.

¶ Impressum Brixiæ per Bernardinum de misintis de. Papia anno.
M.cccclxxxxvi. die. xii. Maii.